Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

retur andreae, severius intuitus eum vir dei, quid hoc est, ait, frater? Numquid non iam dixi tibi quia tuus est ille? Andreas audiens hec, siquidem presens erat et ipse, sicut plurimum improbus erat, et a tali conversatione vehementer abhorrens, talia secum, ut postea confessus est nobis, tacita cogitatione volvebat. In hoc nunc scio falsum esse prophetam. Hoc enim certus sum, quod locutus es verbum et non fiet. Hoc tibi ego coram rege et principibus in celebri quocumque conventu improperare non parcam, ut tua omnibus falsitas innotescat. Ceterum quam mirabilis deus in consiliis super filios hominum, ridens eorum vana conamina, ut propositum suum quando et quomodo ipse voluit impleat. Siquidem die altera ibat andreas, mala omnia imprecans monasterio vel domino suo, dimittebat. ipsam quoque desiderans vallem funditus subrui cum habitatoribus suis. Nec pariter moti sunt et mirati qui predictum viri sancti de ipso audierant verbum, cum taliter videretur abire. Sed non diu pusillanimitatem eorum et fide modicam temptari passus est deus. Illa tamen die procedens et repellens quodammodo gratiam dei, nocte proxima victus est. Et qui vincenti [illegible] se et vim facienti spiritui dei diem expectare non potuit. Sed exurgens ante diluculum, velociterque ad monasterium rediens, alterum nobis Saulum vel magis de Saulo Paulum alterum exhibebat.

Inter ceteros quos de vana conversatione huius seculi per ministerium servi sui christus eripuit, de partibus flandrie multi aliquando nobiles, multi sapientes et litterati viri, sub ipsius magisterio sacram professi sunt servitutem. Quorum primus videbatur gaufridus ille de perona, qui postmodum in claravalle prioris est functus officio, et defunctus in eo. In quibus evidentissime videmus evangelicum illud impleri: multi dicent vobis, ecce hic est christus, ecce illic. Plurimis enim persuasionibus actum est cum eis, ut aliam magis eligerent professionem et loca alia debuissent, donec occurrit dei famulus iam prope dispersis, et in verbis gratie que procedebant de ore eius, pristina omnis hesitatio facta de medio, et omnium pariter in ipsius consilio irrefragabiliter est firmata voluntas. Quod quidem factum est non sine subita et penitus insperata quorundam ex ipsis mutatione animorum. Denique cum iam dei hominem sequeretur predictus ille gaufridus, gravissima cepit temptatione pulsari. Intuitus autem illum unus e fratribus, quid est, inquit, quod facies tua ex[ter]minata, et tristicie quodam nubilo gravius obvoluta videtur? Cui gaufridus, scio, inquit, scio quod numquam amplius letus ero. Quod verbum cum ad dei famulum idem frater satis anxius retulisset, videns ille basilicam prope viam per quam gradiebantur divertit, et ingressus orabat. Ceteris autem deforis prestolantibus, gaufridus ille gravatus tedio, super lapidem obdormivit. Demum cum ambo pariter surrexissent, ille de oratione, ille de sompno, apparuit idem gaufridus tam io-